



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd Imperator vbi eos qui cōcilio interfuere Constantinopolim
conuocaſet, epulum publicũ illis exhibuit, magnificeq donatos, ad
concordiam omnes hortatus est, ac quæ à concilio diuino decreta ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

Quòd Imperator ubi eos qui cōcilio interfuere Constantinopolim conuocasset, epulum publicū illis exhibuit, magnificeq; donatos, ad concordiam omnes hortatus est, ac quæ à concilio diuino decreta fuerunt, Alexandriam & in omnes partes perferri curauit. CAP. XXIIII.

HIS rebus à concilio ad hūc modum decretis, accidit, ut dies festus, iam anno vigesimo imperij Constantini vertente, ageretur. Erat enim Romanis in more positum, ut decimo quoq; anno imperij cuiusque imperatoris diem festum celeberrimo hominum conuentu agitarēt. Quapropter imperator opportunum sibi tēpus ad id, quod instituerat, oblatum arbitratus, totum concilium ad epulū inuitauit, omnesque donis, prout cuiusque dignitas poscebat, honorificè remuneratus est. Vbi verò domum iam redire constituerant, imperator, conuocatis in vnum omnibus, eos cohortari cœpit, ut tum in fidem concordarent, tum pacē inter ipsos mutuò amplexarentur, quò in posterum vitam tranquillam, & ab omni contentione vacuam dederent. Atque longa oratione in hanc sententiam habita, ad extremum iussit, ut preces pro se, pro liberis, pro imperio denique attentis animis funderent, & Deum assidue precarentur. Quæcum illis, qui tum Nicæam venerant, dixisset, & eiusmodi oratione instruxisset, literas quoq; ad singulos cuiusque ciuitatis scripsit ecclesias, eo cōsilio, ut eos qui abfuisent à cōcilio, de rebus in eo tā præclare administratis certiores faceret. Alias præterea literas separatim ad Alexandrinā scripsit ecclesiam, hortatus, uti omni dissidio ac similitate deposita, in fide à concilio edita consentirent. Eam enim nihil aliud esse quàm Dei sententiam consensu tot tantorumque episcoporum per spiritum sanctum stabilitam, & post accuratam inquisitionem, atque adeo exploratam disceptationem rerum omnium in controuersia positaram comprobata.

PRIMI LIBRI FINIS.

HERMIAE